DE

LITERARVM ET LITERATORVM COGNATIONE

DISSERENS

AD

SOLEMNEM

LEGVM

GYMNASII ELBINGENSIS

REPETITIONEM

D. VII. SEPT. A. C. MDCCLVIII

H. L. Q. C.

PERAGENDAM

MAGNIFICOS ET AMPLISSIMOS

VRBIS PROCERES

OMNESQVE

MVSARVM FAVTORES

AC PATRONOS

QVANTO FAS EST OBSERVANTIAE CVLTV

ORAT OBSECRAT INVITAT

IOANNES LANGIVS

GYMN. RECT. P. P. ET BIBL.

ELBINGAE

EX TYPOGRAPHIA NOHRMANNIANA.

Quae hominum, ex uno ſanguine prognatorum, eſt natura, ut omnes cognatione quadam ornentur, & vinculo quaſi colligantur familiari: eadem quoque artium liberalium indoles datur atque conditio, ut arctiſſimo inter ſe conjunctae nexu Gratiarum inſtar manibus preſſis ſororiam alant foveantque harmoniam ac ſocietatem. Cujus rei teſtes omni fide digniſſimos, non Ciceronem modo, a) Romanae eloquentiae facile principem, ſed & Jo. Wowerium, b) Philologum eruditiſſimum nobis commendat fulgens illud Salanae Academiae quondam ſidus, Buddeus Celeberrimus, c) quorum effatis calculum omnino addere tenentur omnes, qui in ſcientiis & otium quaerunt ſuum & negotium.

Atro quidem carbone eorum notanda eſt ſententia, qui ſancta potius ſimplicitate quam ingenio ducti, omnium ſcientiarum principia in S. S. recondita eſſe putant: interim negari non poteſt, artes liberales, ſive prima, quae in puerorum ſubſelliis docentur,

a) in *orat. pro Archia poëta. c. I.*

b) de *Polymath. c.* 24.

c) in *Iſag. Theol.* L. I. c. IV. §. 2. p. 106. & §. 7. p. 142.

docentur, eruditionis ſundamenta, ſive alteriora & ſublimiora, quae in ſuperioribus exponuntur ſcholis, ſub examen vocemus ſtudia, quam evidentiſſima τῦ θείυ proferre veſtigia,[d)] hacque ratione divinam ſpirare originem. Quis enim homini omnia, quae in oculis verſantur, contemplandi, denominandi ac dijudicandi conceſſit facultatem? Quis mortales fulminea ingenii ornavit vi, qua penetralia rerum perveſtigare, artesque hactenus abſconditas invenire, inventas vero in lucem ponere valent majorem? Quis ſemina cognitionis per omnem mundum ſparſit quam largiſſima, &, ut ex illis fertiliſſima aliquando artium proveniret meſſis, voluit? Quis doctrinam & diſciplinas ita inſtituit, ut ad tritum illud uſitatiſſimum: manus manum lavat, ars quoque arti & ſcientia ſcientiae conjunctis viribus inſerviret? Hic ſane labor, hoc opus eſt mere divinum.

Sicuti vero fluminibus torrentibusque maximis, qui ex uno eodemque promanant fonte, cognitio quaedam & affinitas conſtat: ita & omnes, quae D E V M inexhauſtam venerantur bonitatis ſcaturiginem, artes liberales, mentibus animisque commendantur noſtris, fraternitatis quaſi ac ſocietatis vinculo conjunctae. Hinc qui ingenii aciem ad inveſtigandam literarum originem intenderunt, extra omnem dubitationis aleam jam diu poſuerunt, in arte inventa una alterius latuiſſe natales, nullamque tam ſterilem, tamque jejunam exſtitiſſe ſcientiam, quae non vel huic vel illi facem praetulerit. Nonne hinc pictura, quam ſcribendi arte antiquiorem judicat Heumannus,[e)] prima ſcripturae jecit fundamenta? Nonne occaſione artis ſculptoriae aureum illud Typographiae inventum in lucem eſt prolatum? Nonne acutiſſimi illi & Philoſophiae & Matheſeos reformatores, Carteſius, Malebran-

 chius,

d) vid. *Morhofii Polyhiſt.* T. I. L. I. c. 12. *Thomaſii* monatl. Geſpräche. P. II. menſ. Nov. p. 592. *D. Sendelii progr. inaug. ſolemnibus Sum. Rev. D. Bertlingii, Gymn. Ged. Rect. A.* 1753 *dicatum.*

e) in *conſp. reip. lit.* c. III. §. 4.

chius, Nevtonus, Leibnitius, Wolfius, aliique inventis inventa addidere non capita saltem, sed scientias insimul artesque, ex cognitis erutas?

Tanta hinc artes inter viguit semper cognatio, ut non inventae modo scientiae cultura reliquarum florem, augmenta & multiplicationem promoverit, sed eo quoque res rediit, ut quam primum artium una susque deque habita fuerit, reliquae etiam, contemtum illius vindicaturae, domicilio suo quasi relicto abierint. Juvat hinc ex ingenti illa scientiarum copia Poeseos saltem latinae habere rationem. Hujus enim inter instauratas, & in lucem olim collocatas, quae ab humanitate nomen acceperunt, literas, tanta est utilitas, tantaque dignitas, ut nullus dubitem, quin Cel. Athenaei Lubecensis Rectori Jo. Henr. a Seelen pollicem premam, ad oculum docenti, f) varia in cultioris latinitatis studio metuenda esse damna, si ejusdem sermonis ars poetica, in scholis praesertim negligatur. Nulla igitur artes inter liberales tam exigua, tamque levis est, ut ab illius intermissione & contemtu aliarum interitus & defectus non dependeat.

Sed aliud ex alio mihi occurrit. Illis praesertim, qui artibus ac scientiis imbui cupiunt, ordine, actionum humanarum anima, opus esse, norunt omnes. Non exiguus enim ex literarum studio ac industria redundat successus, si discentibus, quibus humanitatis ac diligentiae inculcantur praecepta, ordo insimul commendatur, quo intra eruditionis verae cancellos artium cultoribus est utendum. Hic vero ordo, in studiis maximopere commendandus, arctissimam scientiarum liberalium cognationem iis, qui in propagandis & addiscendis literis sunt occupati, quam apprime ob oculos ponit. Nonne enim difficiliora facilioribus, superiora inferioribus, & primis artium elementis altiora superstruuntur studia?

Nonne,

f) in progr. *de neglectu Poëseos latinae scholis valde noxio.* Lub. 1743, quod legitur in *Bidermanni selectis scholasticis, Vol. I. Fasc. I.* p. 41 &c.

Nonne, quae ad acquirendam linguarum cognitionem & memoriam excolendam limandamque pertinent, illis praeponenda sunt artibus, quae ingenii vires augent, & judicii acumen tentant, alunt, fovent? Nonne arte acquisita una ad alteram demum progredimur, ita ut certo certius sit illud: didicisse fideliter unam artem, emollit viam alterius, nec reliquis nos destitutos esse sinit?

Quae vero scientiarum cognatio ut ulterius pateat, provoco etiam ad mentis humanae conditionem, cujus ea quidem est ratio, ut ad unam saltem disciplinam homo naturalem habere videatur propensionem. Cum vero tot praeclarissimorum virorum nos doceant exempla, dari etiam tales, qui ad omnes artes scientiasque ex aequo colendas pari ingenio fuerint exstructi: facile est conjecturatu, liberales artes inter se conspirare omnes, manusque jungere amicas, adeo ut in una arte perfectus dici videatur nullus, qui & alias non attigerit. Attingere vero non idem est, ac in omni disciplinarum genere habitare simul. Sed sicuti, qui iter facit, multas & regiones & insulas & urbes visitat; eam vero, quae ad animum respondet, in domicilium prae reliquis eligit: ita & eruditus scientias artesque inter se cohaerentes praeternavigare vix ac ne vix quidem potest, quo minus vel ad has vel illas appellat & per aliquot tempus in iisdem quasi commoretur; unam vero, reliquis affinem, ita assequatur, ut insignes ex illa, tanquam ex solo patrio, fructus, emolumenta, laudesque reportare velit.

Nec minus naturalem hanc scientiarum cognationem effectus quoque & commoda arguunt, quae ex omni literarum genere in rem redundant publicam. Monumenta enim historiarum docent, fortunam regnorum & civitatum nullo non tempore cum fortuna rei literariae conjunctam fuisse, & artibus florentibus bene beateque se habuisse. Conringium hinc & Muretum, probatissimos rei hujus testes, audire juvat, quorum ille: g) civitas, inquit, nulla

g) in *praef. ad antiqu. Acad. edit. sec.*

eſt felix, ſi eruditione fuerit deſtituta; hic autem, [h] abſolute nullam florere poſſe ſcribit, niſi in qua literarum cultura viget. Inde facile conjecturare licet, publicam rem oppreſſo literarum ſtudio ſimilem eſſe orbi, neceſſario & ſole & luce carenti. Quae vero laus, quod encomium non ex una aut altera artium liberalium parte, ſed ex omnibus, quibus eruditionis abſolvitur campus, cum divinis tum humanis promanat ſcientiis. Alia enim homines animalia reddit rationalia, & erroribus, qui publicam turbant rem, exploſis, ad virtutem colendam civium componit animos. Alia res omnium temporum geſtas commemorans, & fata eccleſiae totiusque mundi exhibens, ſapientiae ac prudentiae exponit regulas. Alia valetudinis ratione habita, vel proſperam, ne facile offendatur, contra adrepentem morbum medicamentis munit neceſſariis, vel adverſam, fractis humani corporis viribus mortis horam provocantem, pellit. Alia in externa hominis ſecuritate, pace ac tranquillitate confirmanda ſemper occupata, juſtitiae munia exercet, & malevolos puniendo, probos vero tuendo, ſuum cuique tribuit. Alia chriſtianae religionis myſteria revelans, ad unionem cum D E O hominum animos praeparat, & in hac juxta ac futura vita omnis felicitatis, omnisque gratiae divinae reddit participes. Omnes itaque ſcientiarum partes dum civium corporalia & ſpiritualia, externa & interna, temporalia & aeterna promovent, augent ac tuentur bona, quis quaeſo ſororiam illam artium liberalium cognationem & affinitatem in dubium vocaret?

Hoc vero cognationis vinculum non artes modo ac ſcientias humaniores, ſed earum quoque cultores & promotores partim reſpectu ſui, partim literarum intercedere, praeter ſanam rationem & hiſtoriarum dictitant annales. Vix enim ac ne vix quidem ſemina literarum, poſt longa ſilentia mortuarum, ſparſa & ex oblivionis ac obſcuritatis peplo detracta erant, & ecce! provida inſimul

h) in *Vol. I. Orat. 2, de laudibus literarum.*

mul DEI cura in ſcenam mundi hujus produxit viros, qui ingenio & virtute excellentes, ad illa ab inferis quaſi ad ſuperos ulterius revocanda, nati eſſe videbantur. Priſtinum hinc nitorem & avitam dignitatem ſcientiis, ſcholis, Muſisque manſuetioribus, vinculis barbariei ſenſim liberatis, Erasmus ille Roterodamus, Reuchlinus, Melanchthon, aliique Germaniae praeceptores, non niſi divino auſpicio fatisque ſic jubentibus reddiderunt, ut literarum & literatorum harmonia nexusque inde pateret. Hinc non mirum eſt, ab artium liberalium fatis ac honore honorem etiam fataque eorum, qui, ſtudiorum genitrices ac nutrices, cura & ſolertia indefeſſa bonas in melius quotidie evehunt artes, ſemper dependiſſe, & hodienum adhuc dependere. Ingenti quippe abripiuntur dolore literis melioribus neglectis: iisdem contra in pretio ac honore habitis, gaudio. Gratulantur & ſibi & aliis, ſi literarum ſtudia adhuc florere, ſi ingenia ingenua ſe oſtentare, ſi rei ſcholaſticae rationem haberi, & jubilaea ſaecularia ut & ſolemnia anniverſaria Gymnaſiorum & Academiarum votis precibusque celebrari, hilares animadvertunt.

Quo laetitiarum ſenſu & Lycei Elbingenſis afficiebantur cives, dum, (quae immenſa Numinis divini eſt clementia!) Athenaeum, quod Gedani floret, Illuſtre, bellicoſis hiſce temporibus menſe anni currentis Junio diem ſuum natalem biſaecularem fauſtis apprecationibus, ritibusque celebrare potuit ſolemnibus. Hinc & nos, quam humaniſſime invitati, in gaudiorum iſtorum ſocietatem laeti venimus, & votis gratulationibusque additis, Gymnaſii hujus Academici ſalutem, florem ac incolumnitatem DEO, ſcholarum cuſtodi maximo, ulterius commendavimus. En literariam cognationem Muſas inter terrarum Pruſſicarum hodienum adhuc vigentem!

Aſt nova gaudiorum meſſis, cumulus provenit novus, ſi in rem Elbingenſium literariam atque ſcholaſticam oculos conjicimus praeſentem.

praeſentem. Nondum enim incentiva Patronorum in Gymnaſium patrium propenſio, nondum artibus, vinculo quodam inter ſe combinatis, praemia & laudes, nondum literarum cultoribus favor & patrocinia deſunt neceſſaria. Id quod Seminarii noſtri alumnos eo magis impellere poteſt, ut ſingularem Nutritorum favorem debita legum, vel potius paternarum admonitionum obſervantia promovere, & pietatis non fucatae, reverentiae filialis ac ſolidae eruditionis profectus ulterius proferre ſtudeant.

Quae quidem leges cum more ſolito craſtina, DEO ſic volente, luce in Athenaeo patrio de inferiori Acroaterii maximi cathedra iterum ſint praelegendae, huicque actui anniverſario magnam omnino dignitatem, magnumque ſplendorem honorificam MAECENATVM praeſentiam fore confidamus: hinc ILLVSTREM, MAGNIFICOS, GENEROSOS, AMPLISSIMOS, CONSVLTISSIMOSQVE DN. DN. BVRGGRABIVM REGIVM, PRAESIDEM, PRAECONSVLES, CONSVLES, NVTRITORES ET EVERGETAS OMNI QVA PAR EST OBSERVANTIA COLENDISSIMOS: VIROS item EXCELLENTISSIMOS, PLVR. REVERENDOS, CLARISSIMOS, PRAENOBILES, NOBILES, SPECTABILES, PRAESTANTISSIMOSQVE LITERARVM FAVTORES LONGE AESTVMATISSIMOS omni reverentia & officioſitate rogamus, oramus, obteſtamur, ut luſtrationis anniverſariae ſolemnibus benevole intereſſe, & juventuti ſcholaſticae, ductu VIRI PRAECLARISSIMI DOCTISSIMIQVE DN. IO. DAN. HOFFMANNI, GYMN. CONRECT. ac PROF. PVBL. ut & COLLEGAE NOSTRI multis nominibus HONORATISSIMI, de *paganitate ex Pruſſia olim profligata* verba facturae benignas praebere dignentur aures. Faxit DEVS omnia feliciter! P. P. Elbingae d. VI. Sept. MDCCLVIII.